DE

HELLEBORISMO VETERUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICO-MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

PAULINUS RIBBECK
MARCHICUS.

OPPONENTIBUS:
MAXIMILIANO WOCKE, med. et chir. Dr.
JULIO SCHULTZ, med. et chir. Dr.
VITO WEISS, med. et chir. Stud.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE

PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Multa reperiuntur in historia artis medicinae, praecipue antiquorum populorum, quae quidem omnino obscurata sunt, sed ingenio perscrutanti tanta delectamenta praebent, ut in lucem proferri certe digna sint, etiamsi in artem medendi nullam vim amplius habeant. Itaque mihi rem proposui, quae a paucis adhuc doctissimis viris tractata et immerito multis medicis terra est incognita, methodum scilicet medendi quandam describere, quae olim inter veteres Graecos maxime floruit, quae remedium fere unicum et summum in omnibus morbis interdum magno cum emolumento adhibita, quae vero postea in terminis retenta et paullatim oblivioni diuturnitate adducta est. Incitatus sum ad hanc quaestionem disceptandam amore historiae rerum medicarum, quem mihi Vir Ill. et Doctissimus Hecker, maxime ille meritus de rebus peractis artis medicinae cognoscendis summo ingenii acumine et eloquentia suavissima sua inspiravit, cui praeterea magnam debeo gratiam, quod me non solum consilio, sed etiam ope literaria benevolentia cum humanissima adjuvit.

§. 1.

Priusquam ad methodum ipsam, quae Helleborismus vocatur, transgrediamur, nonnulla de plantis, quae adhibebantur, disseramus. Helleborus ita nominatur ab ἑλεῖν et βορά, ob eximiam vim in totum organismum.

Sunt duo hellebori genera, quae veteres commemorant, albus et niger. Quum albus innoxie comeditur ab animalibus, quae a nigro necantur, consentaneum est, album fuisse prius cognitum. Hae duae plantae habitu ac singulis partibus tam diversae sunt, ut nullo modo eidem generi adnumerari possint. Helleborus albus differt ab nigro, praeterquam quod habet radicem albam Helleb. albus et Helleb. niger radicem nigram, in eo, quod albus corniculis caret et semen habet marginatum: ideoque diversis nominibus haec duo genera distinguenda sunt, nam Helleborus albus Veratrum nominatur, quod ad Colchiacearum familiam pertinet, quum niger inter Ranunculaceas collocatur. Helleborum album alii Ascida vocant, alii Atomon, alii Pignatoxarin, magi sanguinem Herculis, alii Polyidon, alii Anaphyston, Aegyptii Somphiam, Galli Laginum; Helleborum nigrum alii Melampodion nominant, alii Ecstomon, alii Polyrrhizon, alii Melanorrhizon, alii Protion, magi Zomarition, Aegyptii Isaeam, alii Elaphinen, Latini Veratrum nigrum, alii Saracam. Helleborus albus a botanicis sic describitur: folia fert magna, lata, majoris sive latifoliae plantaginis, aut potius gentianae similia, majora, magis venosa, liratim striata ac quibusdam plicis instructa. Rectus et ferulaceus caulis, praelongus, sequicubiti altitudine, multis inferius folio-

rum tunicis obvolutus, quas inarescens demittit, superius vero plures proferens spicas, in quibus flores non magni e senis angustis, striatis foliolis, herbaceo colore candicantes, quorum singulis tres aut quatuor succedunt angustae, parvae siliquae velut sesami. In his semen latum et candicans. Radix crassa, candida, haud longa est, cum multis adhaerentibus fibris, quibus etiam subinde propagatur. Helleborus niger autem folia promit ex pluribus collecta, quorum singularia oblonga, lata, laevia et duriuscula sunt, veluti lauri, quam etiam colore refert, sed margine utrimque, a medio sursum versus, serrato. Caule caret, flores in petiolis altis, statim e radice ortis magni, initio albidi, nonnunquam ex candore rosei aut subpurpurei. Deinde purpurascentes, postremo virentes, cum videlicet staminibus luteis exortae siliquae increverint, quatuor vel quinque conjunctae sesami modo hae nascuntur, in quibus semen. Radices subsunt multis crassis fibris capillatae et intricatae et intextae, in quibus mediis tenuis nervus. Nascitur in montibus asperis et petrosis, floret ipsa hieme, si clemens mitisque existit, alias mox soluto gelu. Quae descriptio satis convenit cum descriptione Theophrasti, qui in historia plantarum (lib. IX. c. 11.) utrasque plantas ita delineat:

„ὁ δὲ ἐλλέβορος ὅτε μέλας καὶ λευκὸς, ὥσπερ ὁμώνυμοι φαίνονται, περὶ δὲ τῆς ὄψεως διαφέρουσιν. Οἱ μὲν γὰρ ὁμοίους εἶναι πλὴν τῷ χρώματι μόνον διαφέρειν. τὴν δὲ ῥίζαν τοῦ μὲν λευκὴν, τοῦ δὲ μέλαιναν. Οἱ δὲ τοῦ μέλανος μὲν φύλλον δαφνῶδες, τοῦ δὲ λευκοῦ πρασῶδες (porraceum), τὰς δὲ ρίζας ὁμοίας πλὴν τῶν χρωμάτων, καυλὸν δὲ ἀνθερικώδη (albucum) βραχὺν σφόδρα, φύλλον δὲ πλατύσχιστον ὅμοιον τῷ τοῦ νάρθηκος, μῆκος ἔχον εὐ-

μηκες, εὐθὺς δὲ ἐκ τῆς ῥίζης ἠρτημένοντε καὶ ἐπιγειοφόλλον, πολλύῤῥιζον δὲ εὖ μάλα ταῖς λεπταῖς καὶ χρήσιμον."

Dioscorides (lib. IV. c. 150) helleborum album alio modo describit:

„*ἐλλέβορος λευκός φύλλα ἔχει ὅμοια τοῖς τοῦ ἀρνογλώσσου* (plantago) *ἢ σεύτλου ἀγρίου* (beta sylvestris), *βραχύτερα δὲ καὶ μελάντερα καὶ ἐρυθρὰ τὴν χρόαν. καυλὸν δὲ παλαισταῖον, κοῖλον, περιφλοιζόμενον, ὅτε ἄρξεται ξηραίνεσθαι. ῥίζαι δ'ὕπεισι πολλαὶ, λεπταὶ ἀπὸ κεφαλίου μικροῦ καὶ ἐπιμήκους ὡςπερεὶ κρομύου.* (caepa)." De helleboro nigro etiam aliam adumbrationem tradit:

„*ἔχει δὲ τὰ φύλλα χλωρὰ, πλατάνῳ προςεμφερῆ, ἐλάττονα δὲ πρὸς τὰ τοῦ σπονδυλίου καὶ πολυςχιδέςτερα καὶ μελάντερα καὶ ὑποτράχεα, καυλὸς τραχύς, ἄνθη δὲ λευκὰ, ἐμπόρφυρα, τῷ δὲ σχήματι βοτρυώδη καὶ ἐν αὐτῷ καρπὸς κνήκῳ ὅμοιος ὤν. ῥίζαι δὲ ὕπεισι λεπταὶ, μέλαιναι, οἱονεὶ ἀπὸ κεφαλίου κρομυώδους ἠρτημέναι.*

Plinius (histor. natural. lib. XXV. c. 5) dissentit valde ab illis autoribus: „Duo sunt, ait, candidum et nigrum. Hoc radicibus tantum intelligi tradunt plerique. Alii folia nigri platani similia, sed minora nigrioraque et pluribus divisuris scissa, alii betae incipientis. Utraque caule palmi ferulaceo, bulborum tunicis convoluto, radice fibrata caeparum modo."

Tournefort (institut. rei herbar. tom. I. pag. 241) enumerat species varias flore, odore, foliis ac caule aliquantulum differentes: sed in medicum usum ille potissimum vocatur, cui flores sunt albi aut purpurascentes, mensibus hibernis provenientes. Auctor est, helleborum nigrum, qui omnino differt ab Helleboro nigro apud nos nascente, et Helleborum orientalem Lamarque esse eandem plantam.

Rembertus Dodonaeus (lib. II. c. 28) nuncupat tria genera nigri Hellebori praeter illud a Dioscoride descriptum.

Quorum unum est, quod jam Fuchsius Pseudohelleborum nominavit et ad tollendos pecorum morbos rustici adhibent. Sunt multi qui Pseudohelleborum esse consiliginem Plinii arbitrantur. Plinius (lib. XXVI. c. 1) sic: „Radix herbae consiliginis suum et pecoris omnis remedium praesens est pulmonum vitio, vel trajecta tantum in auricula. Bibi debet ex aqua haberique in ore assidue sub lingua. Superficies ejus herbae an sit in aliquo usu adhuc incertum est." Sed veratri radices idem posse, auctor est Plinius (lib. XXV. c. 5), ubi de nigro Helleboro agit. „Pecorum, inquit, et jumentorum pituitas sanat, surculo per aurem trajecto et postero die eadem hora exempto." Vide Columella (lib. VI. c. 5), ubi de morbis pecorum eorumque remediis agit: „Praesens etiam remedium cognovimus radiculae, quam pastores consiliginem vocant, ea in Marsis montibus plurima nascitur, omnique pecori maxime est salutaris." Verisimile igitur hellebori genus consiliginem esse.

§. 2.

Helleborus uterque invenitur in Laconia et Arcadia. Plurimum, ut Plinius narrat, helleborus nascitur in Oeta monte: et optimum uno ejus loco circa Pyram in vertice montis. Nigrum ubique provenit, sed melius in Helicone. Candidum probatur Oetaeum, secundum Ponticum, tertio loco Eleaticum, quarto Parnassium, quod adulteratur Aetolico ex vicino. Theophrastus optimas species has quatuor habet: Oetaeum, Ponticum, Eleaticum et Massilioticum. Eleaticum in vitibus nasci et vinum diureticum reddere ferunt; omnium vero opti-

mus est Oetaeus. Parnassium et Aetolicum Theophrastus *σκληροίςτε καὶ ἄγαν περισκελεῖς* nominat. Optimi et probatissimi Hellebori notas prodidit Dioscorides:

„*Ἄριςτος δὲ ἔστω αὐτοῦ ὁ μετρίως τεταμένος καὶ λευκὸς καὶ εὔθραυςτος καὶ σαρκώδης, οὐκ ἄποξυς δὲ καὶ σχοινώδης, ἤχνουν ἀφιεὶς ἐν τῷ θραύεσθαι, ἔχων δὲ τὴν ἐντεριώνην λεπτὴν, ἐκ ἐκπυρῶν τὴν γεῦσιν οὐλίαν, οὐδὲ ἀθρόως σίελον ἐπισπώμενος πνιγνώδης γὰρ ὁ τοιοῦτος. πρωτεύει δὲ ὁ Κυρηναϊκὸς καὶ Καππαδοκίδος λευκότερος καὶ χνοώδης καὶ πνιγωδέςτερος.*"

At Helleborus niger tutissime in Anticyra insula sumitur, quoniam sesamoides admiscent. (Strab. IX. pg. 497.) Veteres adeo Anticyram pro helleboro dixere, quod Anticyra optimi hellebori fertilis esset. Cfr. Persii Satyr. IV.: „Anticyras melior sorbere meracas." Horat. A. poet. 300.

„Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit."

Plutarchus (lib. de cohibenda ira: „*καὶ τὴν μανίαν αὐτὴ καθ' αὐτὴν ἡ Ἀντικύρα θεραπεύει.*" — Stephanias narrat, civem aliquem Articyrensem nigrum Helleborum primum invenisse et Herculem a furore liberasse dicitur.

Ex quo Anticyra per multa saecula frequentabatur a Graecis et Romanis, ut helleborismo uterentur. Alii pastorem nomine Melampum reperisse tradunt, capras purgari pasto illo animadvertentem, datoque lacte eorum sanasse filias Proeti, quae ira Junonis furore erant percitae. — Cfr. Sextus Empiricus (lib. I. adversus mathematicos. cap. XII. pag. 271. edit. Lips.): „*Πολύανθος δὲ ὁ Κυρηναῖος ἐν τῷ περὶ τῆς Ἀσκληπιαδῶν γενέσεως, ὅτι τὰς Προίτου θυγατέρας κατὰ χόλον Ἥρας ἐμμανεῖς γενομένας ἰάσατο·* Galenus (de atra bile cap.

7.) inventionem Hellebori inter Graecos vulgo notam esse putat, nam scribit: „Nemo enim inter Graecos altus adeo rudis indoctusque est, quin legerit vel audierit, Proeti filias furore percitas sic a Melampode purgatas curatasque; quo fit, ut non supra ducentos aut trecentos annos, sed multo plures celebris haec purgatio fuit: omnibus quoque inter id temporis medicamine usis.“

§. 3.

Veteres in helleborismo radice, ea parte, qua summae virtutes Hellebori concentratae sunt, utebantur, sed etiam fructus vim medicatricem habere dicunt. Helleborus perdiu qualitates suas integras obtinet, nam triginta per annos utilis est. — Melampo, ut supra dixi, inventio helleborismi tribuitur, qui primum fecit experimenta veratro albo. Multi aegroti suffocati sunt ex usu, postea vero veratrum tam promiscuum erat, ut plerique studiorum causa ad pervidenda acrius, quae commentabantur, saepius sumptitaverint. Melampus conjunxit multos religiosos ritus cum Hellebori usu, quo et domos sufficebant purgabantque spargentes, et pecora cum precatione solemni. Legimus autem in Plinio descriptionem accuratam Hellebori colligendi: „Primum enim gladio circumscribitur. Dein qui succissurus est, Ortum spectat et precatur, ut id liceat sibi concedentibus Diis facere, observatque aquilae volatus: fere enim secantibus interest: et si prope advolavit moriturum illo anno qui succidat, augurium est.“ Ceterum non facile Helleborus colligitur, nam caput aggravat, maxime nisi praesumatur allium et subinde vinum sorbeatur celeriterque

fodiatur. Leguntur autem tenuissimae radices brevesque et decurtatae. Nam summa, quae est crassissima, caepis similis, canibus tantum datur purgationis causa. Antiqui radicem cortice quam carnosissimo seligebant, quo tenuior eximeretur medulla. Hanc humidis spongiis opertam turgescentemque acu in longitudinem findebant. Deinde fila in umbra siccabant, quibus utebantur. Optimum, quod acri gustu fervens in frangendo pulverem emittit. — Melampus Helleborum non solum internum remedium porrexit, sed etiam ad balnea adhibuit, quod medici posteriores quoque probaverunt.

§. 4.

Helleborum veteres contra varios morbos impendebant, praecipue contra tales, qui nimia systematis nervosi affectione aut relaxatione adducuntur: itaque contra horrores, strangulatus, intempestivas somni vires, singultus infinitos aut sternutamenta, stomachi dissolutiones, tardiores vomitus aut largiores, exiguos aut nimios. Neque haec methodus Hellebori dandi sine magnis cautelis instituebatur. Nam cavebant, ne nubilo die daretur, quippe tum impatibiles cruciatus existunt, aestateque potius quam hieme exhibebant. Corpus aliquot diebus ante praeparabant cibis acribus, abstinentia vini, quarto et tertio die vomitionibus, pridie coenae abstinentia. Postea vero, ut res prospere cederet, post vomitiones observatione alvi, balineorum dispensatione, totiusque corporis cura occupabantur. Tum magna cura circa corporis regimen adhibebatur. motus enim observatus est augere purgationem, quies autem moderatiorem reddere; cavebant tamen, ne quies som-

nolentos redderet homines. Si non promte satis succederent vomitus, mala majora metuebant, quare alia dare solebant, quae concitarent vomitiones ipsumque Helleborum extraherent, medicamentis aut clysteribus infusis, saepe etiam sanguine venis emisso.

Cfr. Aëtius (tetrabibl. I. serm. III. cap. 125. 127. 133).

§. 5.

Quod pertinet ad rationem Hellebori adhibendi, Dioscoride auctore (lib. IV. cap. 151.) aut datur solus aut cum sesama aut ptisanae succo, aut alicae, aut lentis cremore, cum aqua mulsa vel pulte vel quavis alia sorbitione copiosa, vel pauco antea cibo sumto. Etiam semen plantae Helleboro simili admiscebatur, Helleborine sive epipactis vocatae. Apud Dioscoridem hanc plantam commemoratam invenimus (lib. IV. c. 110.): „ἐπιπακτὶς, οἱ δὲ ἑλλεβορίνην, θαμνίσκος μικρὸς ἐλάχιστα φυλλάρια ἔχων, πρὸς τὰ θανάσιμα δὲ πίνεται καὶ πρὸς τὰ ἐν ἥπατι πάθη.“ Plinius quoque meminit hujus plantae (lib. XXVII. c. 9.):

„Epipactis ab aliis Helleborine vocatur, parva herba exiguis foliis, jocineris vitiis utilissima et contra venena pota.“ Caulis ejus erectus ad pedis fere altitudinem assurgit, folia lata venosa et striata, uti veratri albi, sed parvula, flores secundum caules, ordine quodam digesti, foliacei, albicantes, medio aliquantulum prominente subluteo. Quibus oblongae, non tamen magnae succedunt veluti siliquae aliquantulum striatae, in quibus semina minutissima, radices subsunt fibrosae, veratri albi tenuiores. Variat florum colore atro rubente, ra-

rius candido, nonnunquam et purpurascente, aliquando carneo. Helleborus, ut Theophrastus asserit, miscetur potione ex Veratro albo parata, ut vomitio bene succedat. Dioscorides vero Helleborinen vomitionem adjuvare non scripsit, ut tantum adversus lethalia medicamenta et jecinoris affectiones bibi.

§. 6.

Plinius addit, Helleborum album in dulci vino dari, aptissime vero in lacte aut pulte. Idem auctor est, Themisonem binas drachmas datasse, sequentes et quaternas dedisse, claro Herophili praeconio. Aretaeus Cappadox (de curat. morbor. diuturnor. I. cap. 3.), ubi de vertigine curanda agit, de diversis methodis veratri exhibendi loquitur: „Ut validioribus quidem succurrat, ad tenuitatem placentulae aut paulo crassius est incidendum; et cum farre lolo aut lente assumitur, pondo drachmae duae. Aëtius (tetrabibl. I. serm. III. c. 131.): Triplex modus erat, dandi Hellebori, in ramentis, *ψαλιστόν*, in pulvere crassiusculo, *κριμνῶδες*, et denique in pulvillo seu tenuissimo polline, quem *χνοῦν* vel *χνοῶδες* appellant, de quo Sextus Empiricus dicit (Pyrrhonian. hypotyp. lib. I. segm. 130. edit. Fabric.):

„*ὁ ἑλλέβορος λεπτὸς μὲν καὶ χνοώδης προσφερόμενος, πνιγμὸν ἐπιφέρει, κριμνώδης δὲ ὢν οὐκέτι.* Aëtius (l. c. cap. 128.) de differentia unius vel alterius modi veratri exhibendi sic disserit: „Si crassissimus pulvis mitissime agit et tenuissimum pollen, *χνοῦς*, vehementissime agit, superest, ut *ὁ κριμνώδης* mediocrem purgationem efficiat.“

§. 7.

Saepissime ac tutissime decoctum vel infusum hellebori porrigebatur. Aëtius (cap. 129 et 130) appellat infusum *ἀπόβρεγμα*, decoctum *ἀφέψημα*. Janus Cornarius ita: „Cremor, in quo maceratum est veratrum datur senibus et pueris iis, quibus habitus defluxit, et qui morbum facile solubilem habeat. Datus et iis, qui elephantiasin futuram timent. Oportet autem drachmas quinque ramentorum in aquae pluvialis hemina dimidia macerare ad triduum deinde colare et calefacere atque exhibere totum cremorem. Decoctum veratri dandum est tum illis, quibus cremor destinatus sit, tum vero iis maxime, qui illis adhuc sunt robustiores, insanientibusque ac atra bile percitis. Praeparatur hoc modo. Veratri libram unam concisam in aquae pluvialis sextariis duis macerato ad triduum deinde ad prunas mitiores coquito ad tertias: postea colato et adjicito ad decoctum mellis despumati primarii libras duas et coquito usque ad mellis compagum et cochlearium magnum delingendum dato. Licet etiam aqua calida miscere et dare cum sorbitione aliqua. Hoc neque convulsiones neque contractiones neque nimiam purgationem facit. Exercitium autem et praeparatio est volenti ad ipsum veratrum transire, ut etiam confidenter ramenta ejus consecta accipiat.

DE HELLEBORO ALBO.

§. 8.

Transimus nunc ad quaestionem, accuratiorem quomodo veteres Helleborum album dare soliti sint, num purum an cum admixtis aliis medicamentis. Hippocrates Helleboro albo sesamoides admiscuit, ut vis sursum purgandi hoc semine exaltetur et acceleretur. Verum obscurum est quale fuerit plantae genus, quod sesamoides veteres dixerunt. Ex Strabone (lib. IX.) comperimus, provenisse in Phocide medicamentum quoddam sesamo simile, quod Helleborum Oetaeum temperet. Ex Plinii loco jam citato: „Drusum constat hoc medicamento liberatum comitiali morbo in Anticyra insula. Ibi enim tutissime sumitur, quoniam, ut diximus, sesamoides admiscent. Rectius Strabo medicamento hellebori simile, quomodo tutius reddi potest si alterum aeque validum ac molestum addatur.“ Quispiam concludere possit, Helleborinen Theophrasti sesamoides esse, sed obstat quod Theophrastus Helleboro albo addi scripsit, ut vomitio melius succedat, quum a Strabone Plinioque addatur veratro, non vomendi gratia sed correctorii loco. Σησαμοειδές antiquitus dicebatur fructus Hellebori albi propter similitudinem cum sesami fructibus. Quamquam ejus loquendi usus etiam Dioscorides mentionem facit, hic tamen aliam profert herbam.

Hanc Dalechampius credidit in Daphne Tatonraica recognoscere. Caesalpinus vero Resedae species huc referens haud disertis verbis Dioscoridis plantam notavit, quae Reseda

mediterranea in Graecia ubique proveniens esse videtur. Dioscorides enumerat sesamoides magnum et parvum. (lib. IV. c. 153. 154.) Sesamoides magnum nonnulli Anticyricon appellant, quoniam Anticyrae albo Veratro in purgationibus miscebatur. Simile est Rutae, longo folio, flore candido, radice gracili, ignova, gustu amaro, ceterum Sesamae simile. Ventrem purgat. Datur tritum ad bilis pituitaeque dejectiones, quantum tribus digitis capitur, addito Veratri albi sesquiobolo ex aqua mulsa. Galeno auctore sesamoides magnum similem Veratro vim abstergentem excalefacientem desiccantemque obtinet.

Eadem fere de hoc Hippocrates sub finem lib. de victus ratione in morbis acutis, attamen non cum aqua mulsa sed cum aceto mulso sive oxymelite exhibet. „Sesamoides, ait, succum purgat; potio ejus est drachma in aceto mulso trita; commiscetur etiam Veratris tertia portionis pars et minus suffocat.“ Sesamoides parvum nonnulli *κορώνιον σησαμοειδὲς μικρὸν*, alii *σήσαμον ἄγριον* nominant, Galenus *σησαμοειδὲς λευκὸν*; semen ejus amaram qualitatem continere multumque amarum esse, excalefacere extergereque scribit. Item de sesamoide Plinius (lib. XXII. c. 25) disserit. Salmasius (homonym. hyl. iatr. cap. 50) arbitratur, quum Dioscorides Helleborum nigrum vocet et sesamoides ut Helleborus niger in Anticyra insula nascatur, *σησαμοειδὲς μέγα* et nigrum Helleborum fortasse eandem rem esse, quod vero magnopere dubium. Ideoque, ait Salmasius, herbarii nostri nullam iconem sesamoidis continent, quia non verum Helleborum nigrum cognoscunt.

§. 9.

Justum autem in corpore commorandi tempus Hellebori, ut Plinius est auctor, ultra quatuor horas non pertingit, totumque opus septem circiter horis peragitur.

Frequentes etiam veteres addiderunt melicratum seu potionem ex melle et aqua mixtam, quam aquam quoque mulsam Latini dixerunt, sive ferociam Hellebori obtundendi gratia, sive humores incidendi caussa sive, quod Pechlinio videtur, ut acuminis mellei ratione phlegma extenuetur inque venas medicamen citius abripiatur. Auctore Aretaeo imbecillioribus et gracilioribus decoctum cum melle propinatur et duorum vel trium cochlearium modus esto, valentioribus vero ad magnitudinem placentulae vel paulo liberalius incisus, cum alica elota vel lente detur ad ℨjj.

§. 10.

Apud Hippocratem (lib. de fracturis §. 39) occurrit mentio *μαλθακοῦ ἐλλεβόρου*, ad quem locum Galenus fatetur, se non assequi qui sibi velit illa denominatio. Addit autem: „nos sane raphanos aceto mulso interdum damus, in quibus die ac nocte Hellebori ramusculus infixus fuerit.“ De additis raphanis Plinius loquitur (lib. 25. c. 5): „Nuper invenere dissectis raphanis inserere helleborum rursusque comprimere raphanos; ut transeat vis, atque eo lenimento dare.“ Pechlino videtur Hippocrates dilutius infusum cum oxymelite et quo diutius immersus Helleborus steterit, hic indigitari sensisse.

Aretaeus (de curat. morb. diuturnor. lib. II. c. 7.) annumerat hunc modum validissimis. In morbis coeliacis curandis scribit: „Sin vero his nihil aut parum proficiatur, vomitibus ex radiculis utitor; sin autem et his albi veratri radicem per noctem unam includas, valentissima tibi fiat purgatio, tum ad humores frigidos purgandos et expellendos, tum ad calorem restaurandum.“ — Denique veteres vinum quoddam ex Helleboro albo pararunt. Cfr. Aëtius (tetrabibl. I. sem III. c. 7.) Potio vero Hellebori tantum prodest aegris, qui febri vacant, ut Hippocrates suadet (de fracturis §. 12. fin.): praestat autem eodem aut postero die veratri potionem exhibere tertioque. Quodsi febri vacet aeger, sursum purgante medicamento utendum, quod idem etiam convenit, ubi febris non est assidua. Eo si febris fuerit assidua abstinendum ut et cibis ac sorbitionibus potioneque utendum aquae, non vini, sed aquae multae acidae *ὀξυγλυκὲς* vocatae.

§. 11.

Hellebori albi virtutem primam esse, vomitum excitandi nemo negabit et Aretaeus Helleborum ultimum valentissimumque omnium evacuantium auxilium nominat. Sed eodem auctore, qui helleborum magnis laudibus effert, alias haud mediocres virtutes habet Helleborus; neque enim vomitum modo provocat, sed est medicamentorum omnium ad humores purgandos efficacissimum: non excretorum copia et varietate, neque vero intentionibus et violentia inter vomendum. Ita Helleborum dilexit, ut neque vim neque qualitatem malam habere, omnibus laborantibus salutem reddere et per exiguam

purgationem et cum intentione parva arbitretur. Porro autem vetustorum omnium morborum qui radices jam altas egerint, cum reliqua auxilia nihil quidquam opis praestiterunt, id unicum remedium est: respirationem facilem ex difficili, ex malo colore bonum et ex macie habitum corporis pinguem efficit. Tali modo multi et varii morbi enumerandi, contra quos veteres helleborum album cum fausto eventu adhibuerunt; praecipue veratrum album medetur morbis comitialibus, vertigini, elephantiae albae, lepris, tetano, tremulis, podagricis, hydropicis, incipientibusque tympanicis, stomachicis, spasticis ischiadicis; febribus intermittentibus quartanis, quae aliter non desinunt, tussi veteri, inflammationibus, torminibus redeuntibus. Sic Plinius (lib. 25 cap. 5). Dioscorides veratrum menses etiam ducere et foetus enecare in peste appositum refert. Externe contra corporis eruptiones axungia salsa et pituita illitum adhibuerunt, item contra suppurationem inveteratam. Eodem et phthiriasis emendatur. Polenta mixtum mures necat, nec non muscae necantur albo trito et lacte consperso. Helleborus albus etiam vim propriam in scorpiones habet, ut Theophrastus et Plinius narrant. Thelisphonon enim, plantam quandam, quam alii scorpion appellant, quia radicem scorpio similem habet, scorpiones occidere tradunt, eos vero reviviscere, si helleboro candido linantur. Idem Plinius (lib. XVII. c. 2.) „Torpescunt scorpiones aconiti tactu stupentque pallentes et vinci se confitentur, auxiliatur eis Helleborum album tactu resolvente, ceditque aconitum duobus malis suo et omnium."

§. 12.

Album Helleborum primo illis dare solebant veteres, qui-

bus mens emota erat. Sic Hippocrates loquitur de attonitis sive stupidis (de diaet. lib. I. §. 27), eodemque libro subfuriosos describit aut insaniae valde propinquos (§. 36), tum in libr. de insomnio §. 6., ubi in insomniis, quae diuturnis actionibus adversantur ideoque corporis vehementem perturbationem indicant, vomitum veratro albo excitari vult. Non prius sumere jubet veratrum, quam corpore fomentatione praeparato. Qua voce significat omnem colorem humidum corpori ab externa caussa allabentem, maxime ex vaporario, candentibus silicibus instructo, aut balneo. Balneo autem maxime praecavere veteres solebant convulsiones, ab Hellebori purgatione nimia proficiscentes, (Hippocrat. de salubri diaeta. §. 9), maxime vero pueri per multum tempus aqua calida lavandi sunt vinumque iis aquosum pro potu exhibendum, nec prorsus frigidum, ut magis adolescant et coloratiores evadant. Sic quoque Hippocrates (de victu acut. §. 44) veratrum dare iis praecipit, quibus a capite fluxio fertur; at eodem loco admovet, ne iis, qui ex abscessibus, vel ex venae ruptione, vel ob intemperantiam, vel aliam validam quandam ob causam suppurati fiunt, veratrum detur, cum nihil juvet et, si quid aeger patiatur, veratrum in causa esse videatur; tum ad illos, qui nimia repletione sanguinis vexantur et repentinum periculum corporis metuunt, cito sanandos helleborismum suadet (de rat. vict. in morb. acut. §. 14).

§. 13.

Jam enarravi Plinium afferre morbum comitialem, a quo Anticyrae liberatum Drusum, tribunum plebis dicit Helle-

boro adjuvante. — Cornelius Celsus (lib. III. cap. 23) non minus multos morbos helleborismo sanare vult; et primo quidem nigrum tentare suadet, tum vero, hoc nihil efficiente, ad album transire. Necessarium esse existimat, ducere alvum vel nigro veratro purgare vel utrumque facere, si vires patiantur. Si per haec morbus finitus non sit, confugiendum ad veratrum album, quo ter vel quater uti jubet, non multis interpositis diebus. Medelam ab Helleboro albo promittit elephantiae leucae, vitiliginis speciei, quartanas quoque hoc remedio exstirpari asserit. Idem auctor ad cynicum spasmum jubet Helleborum album porrigere usque ad vomitum proritandum (lib. IV. cap. 2. sect. 3), tum quoque ad laevitatem intestinorum seu lienteriam vomitum a veratro albo excitatum commendat (lib. IV. c. 16), quamquam Hippocrates uno loco (Aph. 12. sect. IV.) cavendum esse dicit, ne ii, qui alvi intestinorum laevitate infestantur, per superiora purgentur hiberno tempore.

Postremo Celsus (lib. V. c. 28. p. 324 edit. Almelov.) ad strumas tollendas album veratrum cum magno emolumento adhiberi vult, quem effectum nigro Helleboro Plinius subjicit. Videndus est quoque Aëtius (tetrabibl. I. serm. III. c. 121).

§. 14.

Carneades Academicus et Gellius (lib. XVII. cap. 15) superiora corporis Helleboro candido purgaverunt, ne quid ex corruptis in stomacho humoribus usque ad domicilia animi redundaret et constantiam vigoremque mentis labeface-

ret. Aretaeus, qui helleborismum libentissime adhibuit, Helleborum praecepit non modo, ut primae viae expurgentur, aut quidquid crudi ventriculo inhaeserit sursum ejiciatur, quod quidem unice veteres attendisse videntur; sed ut motu illo vehementi et contentione, qua inter vomendum ventriculus caeteraque viscera cientur, tum solidae partes succuti aut stimulari, tum humores aut resolvi aut revelli possint. Et recentior experientia nos abunde docuit, quam vim in morbis chronicis, ubi altas radices egerint, exerceat haec medendi via, praesertim in ischiade, in tumoribus oedematosis, in ictero. Commendat Aretaeus Helleborum album in cephalaea et vertigine, in podagricis, ubi in primis morbi accessionibus mirifice succurrere dicit, in ischiadicis, in elephantiasi, in convulsionibus, insania et paralysi, si haec e melancholia nascantur, quibus in morbis a veratro sanationem non exspectat, verumtamen intermissionem morbi, nam dicit: „incredibile est, nisi ab his morbus fuerit omnino depulsus, aut per multos saltem annos intermiserit: plerumque enim postea rursum melancholiae suboritur. At si tenaciter adhaerescat, non ultra morandum est, quin omnia, quae ad helleborum pertinent, administrentur, denique in scotomate.“ Vid. Aetius (tetrabibl. I. serm. III. c. 121).

§. 15.

Quod ad usum externum Hellebori albi pertinet, Hippocrates primo suadet, ut utero injiciatur, dulci vino infusum ad impura et vetera uteri ulcera sananda (de morb. mulier. I.

§. 3.), tum clysterem eo modo paratum ad mulieres pituitosas purgandas proponit (§. 119.).

Oribasii testimonium de utilitate Hellebori externe adhibendi hoc est: „Veteres veratri admotu atque odoratu purgare sunt conati. E quorum numero est Plistonicus. Hic enim glandes aliter atque aliter ex Helleboro conficiens ano opposuit et vomitum excivit. Passo autem conficiens et diluens, una cum felle bubulo, odorandum iis dedit, quibus neque mucus e naso neque sputum posset procedere, ratus, id quod est, fore ut vomitus facile provocaretur ac magis etiam, si quis eo diutius uteretur.“ Diocles vero anum quoque Helleboro tamquam emplastro circumdedit.

§. 16.

Vomitionibus veteres utebantur sex hibernis mensibus, quod hoc tempus aestivo plus pituitae gignat, et morbi circa caput et regionem eam, quae est supra septum transversum excitentur. (Hippocrat. de salubr. victus ratione §. 13.) Ceterum vetabant veteres Helleborum album dare senibus et pueris: item hominibus mollis ac foeminei corporis animive, exilibus aut teneris tam foeminis quam viris; item timidis aut si exulcerata sint praecordia, vel tumeant, minime sanguinem excreantibus. Hippocrates in Aphorismis (sect. IV. 13. 14. 15) praescribit eximias utilesque regulas in usu Hellebori. Primum iis, qui non facile sursum purgantur, ante potionem corpora praehumectanda, copiosiore alimento et quiete. Tum moveto corpus, quando vis, magis ducere Helleborum; quando vero cessare, somnum facito et non moveto

Denique Helleborus periculosus est sanas carnes habentibus, convulsionem enim inducit. Paulus Aegineta scribit, Helleborum album non dandum, nisi ubi longi valentesque morbi sint, spesque ex aliis remediis adempta sit. Ab Aretaeo etiam eandem cautelam comperimus, ante Helleborum assumendum stomachum vomitu ab esu radicularum effecto assuefaciendum esse vehementiori vomitioni, praesertim quum pituita tenuior ita efficiatur, quae Helleboro facilius dissolvi queat.

§. 17.

Galenus de Helleboro albo parcam mentionem facit. „Nos vero, inquit aliquo loco, ne febri quidem vacuo dare veratrum audemus.“ In Commentat. I. in Epidem. Hippocrat. p. 505. ed. Frob. Lat.: „veratro quidem purgare, si valde antiquus affectus sit et, seu vectibus, ut ita dixerim, extrudendus: ad hujusmodi enim morbos veratro utimur.“ Ex quo satis elucet, Galeno florente certum Hellebori albi usum jam desiisse et ad casus ancipites atque desperatos tantum fuisse reservatum. Eodem modo fere Celsus et Caelius Aurelianus veratrum album commendant, sed etiam tantum in malis, quae ad sanationem fortissimam vectem poscunt. Sequiores auctores, ut Oribasius, Aëtius, Amidenus et Paulus Aegineta vix aliud faciunt, quam ut veterum dicta repetant; Helleborus illis temporibus omnino non amplius in quotidiano non fuisse videtur.

Si non ita fuisset, Damascius quidam apud Photium (in bibliotheca cod. CCXXXII. pag. 1054. edit. Rothomag.) scribere non potuisset: „Asclepiodotos, a Jacobo medi-

cinam doctus, vestigium illud sequebatur, in multis etiam superabat. Nam amissum olim usum albi Hellebori nec etiam a Jacobo observatum, ipse renovavit et illo insanabiles morbos sanavit." — Vixit ille Jacobus, cognomento Psychrestus dictus (vide Alexandr. Trallian. lib. V. cap. 4.), saeculo sexto Justiniani temporibus. Alexander Trallianus longe etiam ab usu Hellebori albi afuit, quum nigrum aliquoties laudet.

§. 18.

Tali modo Helleborus albus paullatim ex apparatu medicaminum evanuit et medici vim ejus sanantem omnino despexerunt. Quod eam ob caussam factum esse, crediderim, quia medici, quum numero haud parum adaucti in multas partes se divisissent, quisque opinionibus suis et dissensionibus magis operam navavit, quam observationibus colligendis et sollicite adnotandis, quid remedia in singulis morbis valeant et efficiant. Discipuli Pythagorae Helleborum omnino oblivioni dederunt. Fuit Erasistratus, qui philosophiam in medicinam reduxit, somniaque Pythagoreorum profunde suis auditoribus impressit. Hujus praecipuum dogma fuit, ex quo omnes vomitiones, omnia medicamenta cathartica damnabantur. Illius praeceptoris, hujus culpae maxime rei, vestigia Romani sequuti sunt. Prosperus Alpinius (de medic. method. lib. III. cap. 8.) de helleborismo loquitur temporibus antiquis adhibito, sed jam omnino obliterato: „non omnium" inquit, „quidem purgantium usum, sed praevalidorum tantum, in morbis sanatu difficillimis, aliquando amplexi fuerunt, quod haec

omnes humores, cum tenues tum crassos, efficaciter educendo, magnam quidem laxationem in corporibus facerent, quando debilia non crassos viscidosque, sed solum modo tenuiores educere queant." — Tali modo viri doctissimi de Helleboro albo diversissimis opinionibus disseruerunt usque ad illa tempora, quibus ars medica inter Arabes maxime floruit. Ex multis clarissimis medicis praecipue Joannes Mesve ille est, qui Helleboro omnes bonas et sanabiles vires detrahere studuit, et omnes medicos sui et posterioris temporis ab usu hujus medicamenti deterruit; itaque fere omnes recentiores ad illum provocant, quando rationem reddere volunt, quare ab albo Helleboro revocando se abstineant. Ex quo tempore, quamquam summi viri et doctissimi Helleboro albo revocando et contra dederunt operam, nemo Helleboro jura sua vindicare ausus est.

—

DE HELLEBORO NIGRO.

§. 19.

Helleborus niger, quem alii Ecstomon vocant, fortasse quod per os pituitam provocet, purgat per inferna. Dioscorides helleborismum refert ad Helleborum nigrum, consentiens cum Plinio (histor. natural. l. XXV. c. 5.) nigrum Helleborum tantum gigni circa Anticyram. Pausanias vero (lib. X. cap. 36. p. 891. edit. Lips.) testatur, nigrum Helleborum aeque ac album circa Anticyram provenisse. Tribuitur Helleboro nigro vis purgandi mitior, quae organismum corporis

multo minus commovet et multo minorem impetum in vires facit quam veratrum album; quae quidem vis se vergit ad inferiora, detrahit pituitas, bilem flavam et potissimum atram ac melancholicos omnes humores, non tamen citra molestiam ac difficultatem, itaque nonnisi robustis ac validissimis, ut Mesves suadet, exhibendum. In observationibus medicis a Fr. Valleriola scriptis symptomata ab Helleboro nigro in juvene producta invenimus. Hic fidens auctoritate illius auctoris, qui magnis Helleborum extollens laudibus, ipsum non aegris solum exhibendum, sed et sanis, Helleborum sumpsit ad drachmae pondus, quo in ventriculo atque corpore toto gravitatem discuteret. Mox vero a potato Helleboro gravitas in ventriculo major oriri coepit cum angustia, turbatio, nausea ingens animi deliquiis comitata, vomitus creber, difficilis, aestuosus; deinde singultus, corporis lassitudo, convulsivi motus, strangulationes. Nec mirum est, tam gravia in hominem incidisse symptomata, quum Helleborus sanas carnes habentibus auctore Hippocrate periculosus sit. Eadem symptomata etiam Conrad. Gesnerus (epistol. med. p. 69.) in se ipso expertus est; cui quidem succus Hellebori nigri cum aqua simplici praeparatus parum placuit, quod stomachum nimis laesit; praefert igitur infusionem radicis usitato more factam cum nonnullis corrigentibus in vino aliove liquore.

§. 20.

Helleboro nigro veteres saepius solo quam albo usi sunt, sed etiam, ut Dioscorides multique alii docent, cum aliis remediis commixto. Nam illo auctore Helleborus niger cum

scammonia, tribus obolis, sive cum drachma salis porrigebatur. Hippocrates de victu acut. §. 14 et 15), ubi de doloribus disserit, qui partes sub transverso septo sitas affligant, jubet si dolor nullam ad jugulum de se significationem praebeat, alvum veratro nigro vel peplio emolliri, hac ratione, ut veratro quidem daucus aut seseli aut cuminum aut anisum aut aliud quippiam bene olens admisceatur, peplio vero laseris succus. Verum ubi purgatio desierit, tunc ut minore quam consueta quantitate absumatur, deinde vero paullo majore semper adducatur. Loquitur ibi etiam Hippocrates de differente effectu Hellebori et peplii. Veratrum nigrum enim tum melius quam peplium ventrem solvit, tum prius crisin adducit. Peplium vero flatus magis erumpere facit. Dolorem autem haec duo sedant. Hippocrates veratro nigro illa supra dicta semina carminativa adjecit, remedia corrigentia, non solum ut particulae Hellebori magis a se disjunctae minus uni loco adhaereant copiosae, sed etiam ut flatus, qui ab Helleboro aliisque purgantibus facile excitantur, magis discutiantur. Certum enim est nihil tam vim purgantem retardare ac diminuere quam flatuum copiam, quoniam intestinis sufflaminandis eorum motum peristalticum retineant et distributionem medicamenti impediant, praeterea vero illa extensione tunicarum orificia venarum mesaraicarum et vasorum chyliferorum comprimant occludantque. Itaque facile evenire potest, ut nihil vel medicamenti virium in humores abeat, vel ex glandulis, quae ad succum entericum mucumque secernendum et ad tubum intestinalem humectandum facilioremque purgationem reddendam destinatae, etiam tunicarum extensione occluduntur, in canalem intestinalem possit defluere.

§. 21.

Quod pertinet ad peplium, quod Hippocrates Helleboro admisceri jubet, invenimus hanc plantam a Dioscoride (lib. IV. cap. 180) descriptam, ubi peplis vocatur. Haec peplis, ab aliis sylvestris portulaca nominata, regionibus in maritimis nascitur, frutex est in latitudinem sese diffundens et candidi succi plenus, foliis sativae portulacae, rotundis inferne rubentibus, semine sub foliis rotundo, fervente gustu, radice singulari supervacua tenui. Datur eodem modo habetque easdem vires, ut peplis, peplidi figura similis et cognata, quae bilem ac pituitam detrahit et facultatem calidam, acrem, mordacem et cum violentia expurgatricem ostendit, etiam vocatus συκῆ et μήκων ἀφρώδης, id est papaver, ab Hippocrate. Paulus Aegineta habere peplon lac etiam ait tithymalorumque modo purgare. Testatur Galenus (lib. de simpl. medic. facultat.) his verbis: „peplus, quidam vero μήκωνα ἀφρώδη, et hic frutex parvus succum habet similem tithymalis, cum in aliis, tum quia purgat cui illi. Peplis succum Galeno teste habet validum, non admodum utilem: semen utilius, sed πυρῶδες hoc est, fervidum similiter pepli modo purgans. Itaque propter vim aequam harum duarum plantarum aliqui peplon et peplidem esse eandem plantam, attamen certis discriminibus duae inter se plantae differunt: praesertimque foliorum, quae in peplo rutae, in peplide portulacae similia sunt. Ex esularum genere esse peplidem multa suadent, tum maxime quod Matthiolo (comment. ad Dioscor.) teste hodie in Italia quaedam species pepla vel peplo dicta invenitur. Quod vero alibi apud Hippocratem

μηκωνίδος (Mohnlattich) nomine appellatur, a Plinio papaveris spumeum vocatur, quamquam peplis non inter papaveris species numerari potest. Videantur Anutius Foesius et Gorraeus (in oeconomia Hippocrat. et Definit. med. vocibus πέπλιον. μηκώνιον). Succo propter acrem stimulantem et anodynam facultatem usi sunt veteres ad pituitam ac bilem expurgandam, tum maxime ad praecordiorum atque imarum ventris partium magnam e flatibus distentionem discutiendam. Hippocrates (de superfoetatione §. 69) herbam peplum nominatum ad emolliendum os uteri commendat. Aëtio auctore (tetrabibl. I. sem. III. c. 26) peplii semen, aliquando vero et ramulos simul, in umbra siccata, tusa ac cribrata, scrupulorum quatuor pondere, in aqua mulsa adjecto modice aceto dederunt veteres.

§. 22.

Dioscorides et Plinius asserunt, veratro nigro salutariter salem misceri, quoniam sal vim incidendi intestinaque blande stimulandi insignem obtinet. Quod vero etiam fit, si scammonia addatur, sed non tam tute, quippe facile intestinorum plicis adhaerens vehementes rosiones atque torsiones excitat, melestam reddit purgationem. Scammonia autem lacrymae succusve dicitur plantae, a Graecis σκαμμώνιον, a botanicis scammonium syriacum nominatae, quae ad convolvulacearum familiam refertur. Scammonii succi extrahendi hunc modum tradit Dioscorides (lib. IV. cap. 82):

„Capite exemplo radix ita cultro incavatur, ut excavatio sensim a latiore orbe in acutum desinat; proindeque in id

cavum succus, qui conchis demum excitur. Alii, postquam scrobes in terra mortarii instar effodiunt, juglandum folia insternunt, in quae radicis incisae succus diffundatur, eumque ibi siccatum tandem auferunt.“ Qualis sit scammonia eligenda, docet Dioscorides eodem loco, laudans scammonium laeve, nitidum, rarum et colore simillimum taurino glutini, fungosum, tenuibus fistulis, quale ex Mysia regione Asiae deportatur. Si linguae tactu albescat, tum admixto tithymali lacte depravatum est. Natione autem Syriacum et Judaicum deterrima habentur, gravia, densa, ervi farina et tithymalo vitiata. Plinius laudat Colophonium, Mysium, Prienense; Mesves autem Antiochenum et Armenium. Quod ad dosin pertinet, Dioscorides succi drachmam unam aut quatuor obolorum dari vult, qua ratione bilis ac pituita per inferna detrahitur. Ad resolvendam vero alvum binos obolos cum sesama sumpsisse satis est, ad purgationem vehementiorem efficiendam succi quaterni oboli cum duobus veratri nigri et aloës drachma una necessarii sunt. Radicis drachma una aut altera purgat. Aliae quoque vires scammonio tribuuntur, eae quidem partus enecandi, tubercula discutiendi cum melle vel oleo, lepram abigendi in decocto aceto, diuturnos capitis dolores tollendi.

§. 23.

Soliti sunt quoque veteres radicem scammonii decoquere cum lente et jusculis et ita decoctum, Hellebori imbutum viribus, sumptitare, ad quem modum aliquot recentiores medici Helleborum jusculis carnium incoxerunt et insignem effectum in morbis profligandis perceperunt. Hic enim animum non

solum in mucilaginoso-pinguem ejusmodi jusculorum substantiam advertere debemus, quae deliniendo fibras ventriculi et intestinorum graviores spasmos cohibet; sed etiam, dum pars nutritiva ductus chyliferos promte subeat, vim illi intime commixtam purgantem in humores abripi, totumque corpus pervadentem serosas multas partes colliquare et ad intestinorum canalem compellere videmus. — Plinius memorat, Helleborum nigrum in dulcibus datum saepius periculum inferre, sed non quale periculum afferatur intelligimus, praesertim quum veratrum album magno cum emolumento in dulcibus adhibeatur. Attamen secundum Plinium nunquam permissum est Helleborum nigrum tali cum vehiculo porrigere. Aretaeus contra suadet, ut ante purgationem lavetur vinique paululum adsumatur et quidquid in cibis gratissimum.

§. 24.

Ex Plinio quantitatem Hellebori nigri fuisse comperimus plurimis casibus drachmam, modice quatuor obolos. Aëtius tres scrupulos dare praecipit, sed omnes vetant, ne caput aut pars crassior radicum sumatur, sed fibras in aqua paululum maceratas habere vim satis vehementem dicunt; ne fibris integris quidem uti permissum est, sed cortice tantum detracto et in umbra siccato.

§. 25.

Multi variique sunt morbi, quos usu Hellebori nigri sanare veteres tentabant. Plinius enim scribit, Hellebori nigri viribus

sanari paralyticos, insanientes, hydropicos, tum citra febrim podagricos veteres, articulares, melancholicos, comitiales morbos, deinde strumas, suppurata, durities concoqui et purgari: item fistulas Helleboro imposito et tertio die detracto, verrucas tolli cum squamis aeris et sandaracha, oculorum caliginem fotu discuti, quam ob caussam quidam et inunxere trito. Sed etiam in morbis animalium Helleborus niger se praestabat magna utilitate, quum pecorum et jumentorum pituitas sanavit, surculo per aurem trajecto et postero die eadem hora exempto, scabiem quadrupedum cum thure aut cera ac pice vel cum pissélaeo sustulit. Hippocrates (lib. de morb. mulier. I. §. 101) ad expellendum foetum mortuum Hellebori nigri fibras jubet, tenuiter tritas quantum hujus pulveris tribus digitis apprehendere potes, cum myrrha ad magnitudinem fabae, miscere et in vino albo ac dulci bibendum offerre; tum in pleuritide cum seminibus odoratis ejus virtutem laudibus effert, item in plenitudine sanguinis. Dioscoride teste Helleboro nigro menses trahuntur, partes necantur, gravitas auditus tollitur, vitiligines leprae impetigines ex aceto sanantur, dolores dentium collutione mitigantur. Cornelius Celsus (lib. III. cap. 23) ad morbum comitialem purgando tollendum commendat veratrum nigrum. Quo loco ductionem alvi a purgatione distinguit, quum scribat: „necessarium autem est ducere alvum vel nigro veratro purgare vel utrumque facere, si vires patiuntur.“ Itaque purgatione vires magis affici quam ductione alvi existimat, et quidem recte. Nunquam veratrum nigrum hominibus ab atra bile vexatio vel cum tristitia insanientibus aut iis, quorum nervi parte aliqua resoluti sunt, in adversa valetudine adhiberi jubet,

nisi ubi is morbus sine febri est, quum vires jam febri debilitatae omnino consumantur.

Inter ea medicamenta, quibus dejectionem moliri deceat primo loco ponit veratrum nigrum cum filicula, quam polypodion Graeci appellabant, et squama aeris, quam λεπίδα χαλκοῦ (Hammerschlag) Graeci vocabant. Celsus postremo etiam veratro nigro utitur in hepatis morbo acuto ad ventrem solvendum, si aliis remediis non evenit.

§. 26.

Oribasius (lib. III. de morb. cur. 28.) testatur, se mulierem quandam vidisse vehementer cancro jam exulcerato laborantem et sola ex Helleboro potione liberatam a quodam medico in insula Co. Videndum etiam Actuarii testimonium a Matthiolo (comment. in Diosc. lib. IV. c. 146.) allatum. — Galenus usu veratri nigri etiam alphos, lichenes, lepras ac psoras extergit: in fistulam callosam indito callum duobus aut tribus diebus detrahit. Aretaeus in curatione lethargicorum veratrum nigrum cum mulsa proponit, tum in melancholia, siquidem ventriculo quoque aegrotanti succurrere necesse est: cumque huic incumbit atra bilis, aegro per unum diem prius tenuiter nutrito Hellebori nigri drachmae duae ex aqua mulsa propinentur; denique in elephantiasi, ubi ceterum Helleborum album efficaciorem esse dicit. — Nec minus clysteribus veteres Helleborum nigrum indiderunt, quibus uteros ex partu aut inflammatione exulceratos repurgarent. Ita Hippocrates (de morb. mulier. lib. I. §. 400.) uterum veratro nigro, quantum ad duas potiones satis sit, vino dulci et aqua

dissoluto, collini vult. Pessum quoque utero intrudere idem jubet, ex veratro nigro cum aqua trito, ut menses provocet. — Auctorum recentiorum praecipue Gesnerus (de oxymelite elleborati utriusque descriptione et usu libellus) de virtutibus Hellebori ex suis experimentis nonnulla tradidit.

Quo teste Hellebori vis sanandi praecipue se manifestat in epilepsia, asthmate et omnibus morbis ex phlegmate aut melancholia dependentibus, in mensibus promovendis, verum etiam aliis expellendis, in urina et calculis detrahendis, in epilepsia nondum perfecta curanda, in lumbricis pellendis, in vasis sanguiferis deplendis, si adest nimius affluxus, per nares aut per anum aut per uterum, in pleuritide sananda ne vena quidem secta, et in multis morbis aliis.

§. 27.

Jam nonnulla diximus, quum de Helleboro albo dissereremus, de ratione et de regulis, quae in helleborismo observabantur, sed adhuc alia non minus gravia restant, quae paucis verbis narranda sunt. Antequam ad sollemnem et plenum helleborismum quemquam admitterent veteres, experimentum capiebant, quo natura ejus maxime inclinaret, utrum ad inferas an ad superas purgationes. De quo diligentissima praecepta in Hippocratis libelli de purgantibus fragmento ab Heurnio primo edito. Ex quo elucet, nimium helleborismi in levioribus casibus abusum exstitisse, homines olim facile purgandi praesides non Helleboro tentari, sed remediis debilioribus, ut manna, cassia, syrupo vel melle rosato, senna, polypodio, rheo aliisque. Eadem cautione et diligentia cum

Helleboro albo tractabant. Dabant enim medicamenta vomitu-ria levissima et ex eorum efficacitate judicium desumebant. Humectarunt autem corpus illis, quae alimentum darent bonum et chylum maxime fluidum massae sanguineae infunderent. Ne autem absumeretur auctiori transpiratione humiditas illa, instituta erat quies seu abstinentia a laboribus et exercitationibus per illos dies, qui usum medicamenti proxime praecedebant. Nec minori momento est si majorem effectum Hellebori exspectamus, corpus movendi; facile enim intelligendum est, quum motu humorum circuitus acceleretur, principium Hellebori efficax celerius per totum corpus distribui et ad glandulas intestinales, ex quibus tum succi intestinalis major copia secernitur, compelli.

§. 28.

Satis Hippocrates admonet, ne veratrum ii sumant, qui sanas carnes habent, nam facile convulsiones ex hoc inepte adhibito Helleboro oriuntur, et convulsio ex veratro, ait Hippocrates, est lethalis; tum ut a profusa purgatione cavendum sit, quae etiam convulsiones singultusque difficile sanandos excitet, hortatur. Quod praecipue apud eos evenire potest, quorum naturam Hippocrates acutam et praecipitem pronunciat, ita ut iis ne clysteres salsos ac tenues quidem concedere audeat, verum crassos et pingues ex lacte cicerum decocto et similibus; quae convulsiones funestum malum existimandae sunt, quum inflammationem et sphacelum praecurrant. Audiendus est quoque Aretaeus, qui cautelas in purgatione praescripsit. „Nam media obest, inquit, obest etiam

cibi copia. Itaque exiguo cibo singulis diebus oportet uti; longa vero abstinentia fugienda est, quia stomachus refectione et calefactione singulis diebus indiget. Ea quoque postremo animadvertenda sunt, quae Celsus de vomitu dixit (lib. II. cap. 13), ubi vetat, ne asperiora medicamenta vomitoria in acutis morbis, in febribus, inter horrores sumantur; at ubi longi valentesque morbi sine febri sunt, ut comitialis aut insania, veratrum dari jubet, neque vero recte hieme neque aestate, optime vere, tolerabiliter autumno. Tum idem Celsus auctor est, aegrotantibus remedium accepturis a medico veratrum album daturo consilium dari, ut corpus humidius sit. Postremo monet, ut veratrum album tantum in gravibus casibus adhibendum sit, quoniam non semper aegris prosit, semper vero sanis noceat.

VITA.

Natus sum FRANCISCUS GUILELMUS LEOPOLDUS PAULINUS RIBBECK Stendaliae anno h. s. XXI die VI mensis Octobris, patre FRIDERICO, matre JULIA e gente NATAN, quibus adhuc superstitibus ac salvis quotidie laetor. Fidem profiteor evangelicam. Primitiis literarum Erfordiae in schola ea imbutus, quae vulgo Musterschule vocabatur, eadem in urbe per duos annos frequentavi gymnasium, quod tunc rectore STRASS magna laude florebat; postea, quum lares Vratislaviam transtulerimus, ibi gymnasii Fridericiani discipulis adscriptus sum a rectore KANNEGIESSER, ubi in literis a praeceptoribus

egregiis eruditus sum. Maturitatis testimonio instructus mense Novembr. a. h. s. XL. universitatem literarum Vratislaviensem adii et a rectore magnifico GAUPP, Viris Illustr., inter cives academicos receptus, apud ordinis medici decanum BETSCHLER, Vir. Illustr., nomen dedi. Ibidem scholis interfui hisce: Ill. BARKOW de osteologia et syndesmologia et de anatome comparata; Ill. BENEDICT de chirurgia generali ac speciali, de ophthalmiatrice, de fasciis rite applicandis et de instrumentis chirurgicis; Ill. BRANISS de logice et psychologia; Exp. DUFLOS de chemia pharmaceutica; Ill. FISCHER de chemia generali experimentali; Ill. GLOCKER de mineralogia; Ill. GRAVENHORST de zoologia; Ill. GOEPPERT de plantis officinalibus, de methodo formulas medicas concinnandi, qui mihi quoque benignissimus dux erat in botanicis excursionibus; Ill. HENSCHEL de encyclopaedia medicinae; Ill. KLOSE de pathologia generali; Ill. NEES AB ESENBECK de botanice generali ac speciali; Exp. NEUMANN de anthropologia et de typho; Ill. OTTO de anatome corporis humani et de historia foetus, ab quo viro doctissimo in exercitationibus quoque anatomicis instructus sum; Ill. POHL de physice experimentali, de electromagnetismo et de luce caloreque; Ill. PURKINJE de hominis physiologia generali ac speciali, qui idem exercitationes in experimentis physiologicis instituit; Ill. REMER de pathologia ac therapia speciali; Cel. REMER de morbis syphiliticis; Beat. SACHS de auscultatione et percussione, de therapia generali; Ill. WENDT de materia medica et de morbis infantum.

Anno h. s. XLIII. ineunte mense Aprili quum parentes domicilium Berolini constituerint, ibi sub auspiciis rectoris de RAUMER,

et decani medicorum spectatissimi MUELLER inter cives hujusce almae literarum universitatis relatus, per tria semestria lectionibus virorum doctissimorum interfui: Ill. HECKER de medicinae historia; Ill. MUELLER de anatome pathologica; Ill. WAGNER de medicina forensi et politia medica; Exp. ANGELSTEIN in operationibus ophthalmiatricis me erudivit. In clinicis duces mihi fuerunt illi excellentissimi viri, qui me in templum artis medicae ingenio suo induxerunt, Ill. JUENGKEN, BUSCH, DIEFFENBACH, SCHOENLEIN, Cel. WOLFF, Cel. TRUESTEDT.

His viris omnibus Illustr., Celeberr., Experientiss. palam maximas ex intimo pectore gratias ago, quorum me discipulum fuisse semper laetabor et gloriabor.

Tentaminibus jam, et philosophico et medico, atque examine rigoroso ex gratiosi medicorum ordinis judicio superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi medicinae et chirurgiae honores in me conferantur.

THESES.

1. Progressus Anatomiae et Physiologiae cum iis Medicinae et Chirurgiae intime cohaerent.
2. Aquae naturales et artificiales valde discrepant.
3. Febris intermittens larvata non existit.
4. Nullus morbus est insanabilis.
5. Medicus, psychice non medens, non medens.
6. Hydropathiam ullam vim in medicinam hodiernam habere nego.
